Copia Literarum, à certo bono & impartiali amico ad alium paucis abhinc diebus exaratarum ſuper præſenti ſtatu Regni Poloniæ.

IN quo turbido rerum ſtatu, quibusque dubiorum & anguſtiarum ambagibus totum Poloniæ Regnum verſetur, fama non ſolùm per univerſam Europam, verùm etiam per alias remotiſſimas Orientis & Occidentis, nec non Meridiei plagas ita divulgavit, ut & in ſummis Regum ac Principum Aulis, & in humilibus Ruſticorum ſtramineis Caſis diverſa ſuper rebus Polonicis judicia formentur, & ſermones miſceantur. Deliberatur inſuper in Conſiliorum Conclavibus; diſputatur in Academiis, conſultatur in publicis doctorum & privatis plebejorum Conventibus: perorant de hac re Concionatores in Cathedris, altercantur Hoſpites in popinis, narrant illam invicem pueri in plateis, paſtores in paſcuis & mulieres in foris: diſcurrunt de eadem Monachi in clauſtris, opifices in officinis, peregrinantes in viis, & milites in caſtris: porrò ſermocinantur ſuper hoc negotio Mercatores in Nundinis, Navigantes in fluctibus maris, & Venatores, imò etiam latrones in ſylvis, verbô: ex omni hominum conditione nemo eſt, qui hac de re non loquatur, animique ſui ſenſa pro & contra non manifeſtet.

Polonia denique, utpote omnium maximè intereſſata, cur taceat? non tacet, ſed validiſſimô clamore vociferatur, diverſa agitat Conſilia, & in quam ſententiam abeat, aut quid concludat, inter ſpem & metum hæſitat. Multorum quidem

43

quidem animi innatô Religionis Romano-Catholicæ fervore accensi, atque justæ causæ confisi, omnia sua bona unâ cum vita & sanguine sacrificare parati sunt, hinc in bella, utpote Dei & Religionis causâ suscipienda, & in acres pugnas ac prælia manus jamjam pruriunt. Timidiores econtrà tergiversantur, hoc motivô persuasi, quòd dubius semper bellorum sit eventus, & bellum temerariè susceptum plerumque infelici exitu finiri soleat; quapropter isti tranquillitatem publicam & almam pacem unicè exoptant & conservare satagunt. Plura super hac re calamo committere consultum non est. Tempus & Comitiorum generalium eventus brevi de uno alterove certiores nos reddet, interim totam rei hujus causam Deo, ejusdemque potenti Protectioni nos utrinque commendamus &c.